Fragmentarium

6

racionem conptam libius pre-
dicabat. Qui certe diuine
dispensationis gratia non solum ab
iustis. sed ex pontificali stirpe
ortus parentibus natus asseritur.
Vnde euangelista lectio re-
citatur. Fuit in diebus herodis
regis iudee sacerdos quidam
nomine zacharias. de uice abia.
et uxor illius de filiabus aaron
et nomen eius elisabeth. Erant iusti
ambo ante deum. Bene iusti
ante deum dicuntur pater et mater.
Non enim omnis qui iustus est ante homines
iustus est ante deum. quia homines secundum
quod uident iudicant. deus autem
corda considerat. Et ideo fit ut
qui iustus hominibus esse uide-
atur. si iusticia eius non ex intimis sim-
plicitate formatur. sed uana gloria
simulatur. Beatus autem ille qui in
conspectu dei iustus est. Iustus quippe
esse non potuit nisi operibus iusticie
adornetur. Que autem opera iusti-
cie. nisi obseruacio mandatorum
dei. dilectio uidelicet dei et
proximi. Et ea que sibi quis fieri
bona appetit. proximo non inuideat
et hoc quod sibi fieri non cupit.
alio nec ipse faciat. Set etiam
quantum preualet alio iniuriare
uolenti resistat. In his enim

mandatis ut ipse ait tota
lex pendet et prophete. Nam
subditur. Incedentes in omnibus
mandatis et iustificationibus
domini sine querela. Cum enim
mandatis celestibus obedimus
in mandatis domini incedimus.
Cum iudicamus alios cum iusticia.
et timore domini. iustificationes
eius tenemus. Sed quod apostolus docet
dicens. Prouidentes bona non
tantum coram deo. sed et coram
omnibus hominibus. Et non erat
illis filius eo quod esset elisabeth
sterilis. et ambo processerant
in diebus suis. Diuinitus autem
procuratum. ut de sterili matre
seneque patre nasceretur iohannes.
ut desinente omni lasciua
concupiscencie carnalis
manifestum esset nulla in hac
conceptione causa esse uolup-
tatis. sed solum desiderium prolis.
Factum est cum sacerdocio fungeretur
zacharias in ordine uicis
sue ante deum. secundum consue-
tudinem sacerdocii sorte exiit
ut incensum poneret. Ingressus
in templum domini. et omnis mul-
titudo populi erat foris orans
ora incensi. Vna enim in his
temporibus in anno sollempnitas

License: cc-by – Sansepolcro, Archivio Storico Diocesano, Archivio Vescovile, Pergamene, busta 3, n.6, 1v – Homiliary
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-dwjz/9288/68691)